



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

Affectvs Animæ Amantis Jesum Crucifixum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

AFFECTVS ANIMÆ AMANTIS
JESUM CRUCIFIXUM.

Quæcunque in forma video te, diligo JESU:
Es, qualicunque in corpore, semper amor.
In teneris video si te requiescere cunis:
In cunis quàm te diligo, Pape, tuis!
Doctores inter quàm Pupus amabilis omnes!
Ex vultu spirat gratia sola tuo.
Si per agros pergis Solymæ, Galilææve rura,
Seu prope Jordanis, seu Hesebonis aquas:
Quis, nisi totus amor? seu reddis lumina cæcis,
Seu ægras aures, seu labra muta juvas;
Seu alta ex puppi populo folatia præbes,
Seu vasto in prato millia quina cibas:
Semper amo, JESU: sed nescio, quomodo, JESU,
Te plus, quàm soleam, cùm Crucifixus, amo.
Tunc amor ille meus flammâ majore calefcit,
Tunc totus bustum, tunc ego fio rofus.
Tunc nec Francisci Seraphina incendia miror,
Nec flammæ miror, tunc Catharina tuas:
Nec ductas à te noctes, Bernarde, diésque
Hærente ad charæ dulcía signa crucis.
Ignitis cuperem figi mihi stigmata clavis,
Et mea ferratâ cuspide corda fodi,
Cum Paulo vellem configi stipite eodem,
Vis queat unde meas nulla movere manus.
Stantibus invideo funesti ad robora trunci,
Joanniq; tibi, Magdalidq; tibi:
Illis me socio, quâ fas ratione, meâsque
Nunc jungo lacrymas, nunc ego jungo preces:
Nunc circumdo pijs lignum feralè lacertis,
Nunc tremulis figo basia blanda labris.
Nunc geminas ferro perfossas duplicè plantas,
Astrecto pavidâ, compatiórque manu.

Magda-

Magdalis optarem, si possem, in forte locari:
 Imbuerem plantas divite rore tuas.
 Indignor Petro, & socijs trepidantibus, auri
 Quod fugiendo Crucem deseruisse tuam:
 Ah! fugitis? clamo: Crucifixum quarite JESUM,
 Sese ipso JESUS in cruce dulcior est.
 Quem vos fugistis, cupido vestigo labore;
 Quam fugitis, toto pectore quero crucem.
 In cruce non alibi majores prodit amores:
 Quidquid ibi hic oculus cernit, amore scatet.
 Aspicio faciem: facies mihi spirat amorem,
 Atque mei totum languet amore caput.
 Nam cur inclinatur moriens, nisi basia velle
 Figere, & exspirans dicere dulce Vale?
 Aspicio laevam fixamq; à stipite dextram:
 Ah! quot dextra notas laevaq; amoris habet!
 Et cur extendit dextram simul atque sinistram?
 Amplexus moriens quod petat ille meos.
 Aspicio plantas, video vestigia amoris:
 Nam cur ex caelis huc abiire suis?
 Dum video saxa praecordia cuspide rupta,
 Et, quod transfixit militis hasta, latus:
 Heu! quid ibi video? manifesta palatia amoris,
 Cor ipsum, quo me tam patienter amat.
 Huc ego respicio veluti fugitiva columba,
 Dum quaerit tutas, hoste sequente, petras.
 Hic ego, Tartarei dum me furor impetit hostis,
 Per fugium rebus quaero, habeoque meis.
 Quina, ubi sum salvus, mihi propugnacula pandit,
 Quod capiam tutam, moenia quina, fugam.
 Si sitiam, hinc stillat quintuplici fonte salutem;
 Si moriar, vitam quisque dat iste mihi.
 O! vivam & moriar JESU morientis amator!
 Imò nihil, JESU quam morientis amor!

DE